

breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa, ut nihil omnino praetermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris coelestis doctrinae compendio comprehendatur. Sic, ait, orate: Pater noster, qui es in coelis. Homo novus, renatus, et Deo suo per ejus gratiam restitutus: Pater, primo in loco dicit, quia filius esse jam coepit. In sua, inquit, propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei fierent, his, qui credunt in nomine ejus. Qui ergo credidit in nomine ejus, et factus est Dei filius, hinc debet incipere, ut et gratias agat, et profiteatur se Dei filium, dum nominat patrem sibi esse in coelis Deum: contestetur quoque inter prima statim nativitatis suae verba renuntiasse se terreno et carnali patri, et patrem solum nosse se et habere coepisse, qui sit in coelis, sicut scriptum est: qui dicunt patri et matri, non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt praecepta tua, et testamentum tuum servaverunt. Item Dominus in Evangelio suo praecepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quod sit scilicet nobis unus pater, qui est in coelis. Et discipulo qui mentionem defuncti patris fecerat, respondit: sine mortui mortuos suos sepeliant. Dixerat enim patrem suum mortuum, cum sit credentium pater vivus. Nec hoc solum, fratres dilectissimi, animadvertere et intelligere debemus, quod appellemus patrem, qui sit in coelis, sed conjungimus et dicimus, Pater noster, id est eorum, qui credunt, eorum, qui per eum sanctificati, et gratiae spiritualis nativitate reparati filii Dei esse coeperunt. Quae vox Judaeos etiam perstringit et percutit, qui Christum sibi per prophetas annuntiatum, et ad se prius missum, non tantum infideliter spreverunt, sed et crudeliter necaverunt: qui jam non possunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat et redarguat dicens: Vos de diabolo patre